DISSERTATIO
ACADEMICA
DE DIGNITATE
B. MARIAE
VIRGINIS MATRIS DEI,

Quam Italice per

TERTIARIUM SERAPHICUM

jam pridem perfectam,

Impenſè in MARIAM ſine labe conceptam devotus

Nunc primum latine reddit.

QUINTA EDITIO.

Qualis, & quanta ſit M. V. Mater CHRISTI.
Dignare me laudare Te Virgo Sacrata.
Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

NEAPOLI M. DCC. LII.
Ex Regia Typographia Palatina.
SUPERIORUM PERMISSU.

LECTORI HUMANISSIMO INTERPRES.

QUUM mihi forte in manus venerit, ſub Tertiarii Seraphici nomine libellus, cui titulus inditus eſt: *Diſſertazione Accademica della dignità di* MARIA *Vergine Madre di* DIO *&c.* nihil fuit aliud quamobrem non modo legerim, ſed etiam arripuerim: Etenim illum praeterquam quod a quamplurimis ſtudioſe conquiri intellexeram, nihil mihi praeterea antiquius fuit,

quam ut maximo cum animi mei oblectamento legerem ejus generis libros, qui & praeconiis in B. V. Dei Matrem referti ſunt, & in ejus pietatem fidelium corda maximopere incendunt: quod utrumque doctus aeque ac pius Tertiarius Seraphicus ita praeſtat egregie, ut propterea, opinor, ſatis fuerit, quod ſuus iſte libellus antehac quater deinceps typis excuſus fuerit, nimirum Neapoli anno 1748., deinde Meſ-

ſanae

ſanae, & Neapoli anno 1749., poſtremo Matriti hiſpanice redditus anno 1751. Eumdem autem ipſum quintum, eo tibi ex italico in latinum tranſtuli, quod ab amiciſſimis viris in MARIAM bene devotis, (extra Italiam tamen natis) ſibi ſuiſque civibus, ut a me communis quoquomodo fieret, maxime exoptatum noverim: quibus quidem obſequi primum nonnihil haeſi; (verebar enim ne mea iſthac verſione incon-

te latina , italicae orationis dignitati optimis electiſſimiſque verbis, phraſibuſque perfectae , aliquid detraheretur :) deinde vero quum mihi in mentem ſubiit , quod ubi de MARIAE laudibus agitur , tunc oratio etiam inconta delectat ; tum demum ad illorum voluntatem ipſe me conformavi. Quod reliquum erat , nempe ut eadem ipſa verſio prelo premenda committeretur , id aeque Religioſiſſimus , ut glorioſiſſimus

utriuſ-

Digitized by Google

utriuſque Siciliae Rex noſter Carolus, quem Deus diu multumque ſoſpitet, pro eximia in Virginem pietate, qua pollens eſt, ſat praeſtitit; typis enim regiis impenſiſque ſuis excudi juſſit. Ego, quod ad rem ipſam attinet, nempe ut italica in utcumque latina, hoc eſt periodi periodis, ſenſus ſenſibus reſponderent, omnino curavi: quod vero ad verba ſpectat, mihi nihil tanti fuit, quod una in altera prorſus converterem, ne

ſcili-

ſcilicet & puerilem in modum egiſſe, & orationem enervaſſe viderer: unaquaeque enim lingua ſuas proprias phraſes, ſuoſque lepores habet. Itaque de meo nihil ferme addidi, niſi quod fidelis interpretis eſt. Sua ſibi propterea laus ſit Diſſertationis authori, quippe qui nihil eloquentiae, nihil doctrinae, nihil pietatis ſuae omiſit, quominus demonſtraret *qualis & quanta ſit Virgo Mater* CHRISTI. Si quid vero

ro ego tum quoad verborum delectum, tum forte quoad alia in interpretandi genere peccavi, id mihi ſummo in Auguſtiſſimam divinamque Matrem ſtudio rependatur, quo ſcilicet uſque ad extremum ſpiritum elaborare conſtitui, ut in ejus laudem, ac pietatem fideles proſiliant, ac vehementius inflammentur. Ad haec, Conſtitutionem Alexandri VII., quae incipit: *Sollicitudo omnium Eccleſiarum* ad calcem hujuſce Diſ-

ſerta-

Digitized by Google

ſertationis , hac etiam vice conſultiſſime impreſſam volui: Etenim ſunt inter Catholicos , qui editis libris eo obnituntur , quo pietas in Immaculatam Virginis Conceptionem , (quod amplitudinis ſuae caput eſt) variis ſub obtentibus , etiam religionis , tepeſcat in dies atque comminuatur : quum contra S. R. E. omni ſedulitate curet , ut in hujuſcemodi Myſterium cultus magis magiſque vigeat ac proferatur . Novi

quid

quid nuperus alioqui eruditiſſimus Scriptor in ipſam Conſtitutionem, pro ſua libidine comminiſcitur. At vero, ſi ſuperis placet, jam prope eſt, quod ex illius actis ſinceris, (quae adhuc deliteſcunt,) atque ex iis quae per omne oevum quum in Orientali, tum in Occidentali Eccleſia ad haec uſq; ſapientiſſimi D. N. BENEDICTI PP. XIV. in id Myſterii impenſiſſime devoti, tempora, identidem acta atque decreta ſunt, juſtis tan-

tandem voluminibus ad ſeverioris Critices leges, accommodatis, mira hominis confidentia innoteſcat, qua ſimplus ejuſdem Conſtitutionis ſenſus in flexuoſum, parumq; tutum, veluti per cuniculos detorquere, & in eam pietatem fidelium vota non modo irridere, ſed etiam cenſoria, quod ajunt, virga notare, conatur. Interea tamen dum iſta omnia tibi me quamprimum facturum polliceor, tu eam, quam dixi Conſtitutionem, attente legito, & vale.

QUAMQUAM Matris Dei gloria, dignitas, praeſtantia tanta, inque tam ſublimi faſtigio collocata eſt, ut univerſos omnes non modo in ſui obſequium, & venerationem rapere, ſed & ad omne encomii genus excitare deberet; nihilominus non ſolum cuncti omnino Haeretici, ſed ex iis etiam, qui in Catholicorum numero recenſentur, nonnulli, licet pauci admodum, erga Dei Genitricem Mariam non eum, quem de-

cet, obſequii ac religionis cultum profitentur, neque illum exhibent honorem, qui tantae Reginae merito tribuendus eſt. Quod quidem ea fortaſſe de cauſa fieri exiſtimaverim, quod homines quum ſint, atque iis tantum rationibus inniti ſoleant, quae naturalem mentis eorum captum non praetergrediuntur; idcirco eamdem non pro merito, ſed pro ſuo ingenio tantummodo norunt aeſtimare. *Non*, enim, ut valde appoſite Apoſtolus ait, *animalis homo percipit ea, quae Dei ſunt*; quum contra Spiritualis, Divina Fide illuſtratus, ad altiſſima quaeque capeſſenda erigatur. Hinc autem factum eſt, ut hujuſcemodi homines ſi quae a Sanctis Eccleſiae Doctoribus, de MARIA Virgine DEI Genitrice, magna, licet meritis illius imparia, praedicari deprehendunt; ea vel parum laudent, vel etiam improbent,

&

& tamquam aſſentatoria nimis, & quaſi ſuperſtitioſa, audacter condemnare minime dubitent. Quam quidem parum propenſam ac religioſam ſuam erga MARIAM Virginem voluntatem, ut ſpecioſo ſatis colore obtegant, DEI Matrem eum tantummodo honorem requirere ajunt, qui unice eam deceat, quique eidem *proprius* ſit; ut ſcilicet pro humillima DEI Ancilla habeatur, nihilque praeterea amplius aut velle, aut admittere; atque id ea vel maxime de cauſa, quod *Honor Reginae judicium diligit*.

Ut igitur ita eſſe fateamur, honorem ſcilicet Reginae judicium diligere; quia tamen judicium ea trutina eſt, a qua rationum earum momenta perpenduntur, ex quibus in ratiocinii modum diſpoſitis conſequentiae exiſtunt; Et judicium illud nequaquam mihi probandum

videtur, quod Dei Genitrici, omniumque creatarum rerum Reginae, vel eum, quem meretur honorem auferret, vel eidem eam, quae minime conveniens eſſet, dignitatem ac praeſtantiam attribueret; proinde, antequam hujuſmodi judicium atque examen inſtituamus, eadem mihi, quae S. Ildefonſus (*ex lib. Virginit. B. M.*) vota concipere, ac preces admovere libet, quibus Sanctiſſimam Dominam meam, Dominique mei Parentem deprecor, ut mihi Filii ſui, Redemptoris mei Spiritum dignetur impertiri, ut quae ad eamdem ſpectant, noſſe, eloqui, atque, prout vera ac digna ſunt, amore proſequi poſſim: aeſtimando ſcilicet, quo ejuſdem qualitas pertingat, quo quantitas ipſius extendatur, quantae perfectionis ſua dignitas ſit, quantumque in protectione illius praeſidium, ac firmamentum habeatur.

Ut

Digitized by Google

Jam vero ad eam, quam diximus, trutinam deveniamus; ac primum, *Qualis ſit Mater* CHRISTI, aggrediamur expendere. Numquid nos MARIAM vel Deam vel Divinam eſſe affirmabimus? Neutiquam id quidem ſine gravi piaculo poteſt. Illa ſiquidem & Creatura eſt, ejuſdemque humanae naturae, quam Parentes illius JOACHIM & ANNA ſortiti fuerunt. Quia tamen dum eamdem Creaturam eſſe affirmamus, deduci inde poſſe forſan videretur, illam eo tantummodo cultu dignam eſſe, qui Creaturis, & quidem Angelorum natura inferioribus, quantalibet Sanctitate cumulatis convenit: ideo hujuſmodi judicium neque verum eſt, neque MARIAE dignitas ſinit, ut in ea comprobari poſſit. Etenim quum ipſa Mater DEI ſit, in eo propterea amplitudinis, & excellentiae gradu conſtituta eſt, ad

quem

quem omnes ſimul creaturae neque pertingere, neque ullo modo poſſunt adſpirare. Atque id cauſae eſt, quod Eccleſia, Divino illuſtrata Spiritu, quum DEUM ſupremo *Latriae* cultu, creaturas autem *Duliae* proſequatur, *Hyperduliae* cultum, honoremque MARIAE impertitur; utpote quae, etſi Divina minime praedita natura, longe tamen ſupra omnium creaturarum ſortem & conditionem collocata eſt. Merito igitur & nos de ea, quemadmodum de JESU CHRISTO illius Filio cum Eccleſia inclamare poſſemus *Generationem ejus quis enarrabit?* Et ſane quoniam Patrem inter & Filium ac Matrem, ſuam intercedere proportionem debere manifeſtum eſt; quum Pater DEUS ſit, & Filius etiam ſit DEUS; MARIAM quoque DEI Matrem, etſi, utpote natura ſua creaturam, DEAM dicere, ſine impietatis

nota,

nota, non poſſumus; illius tamen ſummae dignitatis ratione , prope Deam reputare juſte ac pie poſſe videmur cum S. Thoma, qui (n. 1. part. q. n. 5. art. 6. ad 4.) in haec verba ſcribit *Virgo ex hoc quod eſt Mater* Dei, *habet quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod eſt* Deus; *& ex hac parte non poteſt fieri aliquid melius* Deo.

Fatendum quidem eſt, ſicuti ego iterum & ſaepius fateor conſtantiſſime , Mariam inter , ſimplicem utpote creaturam , & Summi Numinis Majeſtatem proportionem nullam intercedere; quippe quae finiti ad Infinitum nulla dari poſſit. At vero inter eamdem , utpote Dei Matrem, ac Deum ipſum Ejus Filium, re vera proportionem intercedere , neminem reperiri poſſe exiſtimo , qui audeat inficiari ; cum *Maternitatem* inter ac *Filiationem* mutuus reſpectus intercedat.

Quale

Quale ergo verum ac rectum de Maria Dei Matre judicium ferendum erit? Sinite, amabo vos, ut ingenue & aperte loquar, priuſquam ad rationum momenta deſcendam. Maria, utpote Dei Mater, pro ſumma ſua dignitate, fere Dea eſt, *per eſſentiam* vero non ita: vix Creatura eſt, quia Dei Mater eſt, natura tamen ſua Creatura eſt. Etenim Maria adeo cum Deo conjungitur, ut Dei Sponſa, Dei Filia, vera naturaliſque Dei Mater nominetur & ſit. Vera ſane Mater, quae ipſum Dei Filium Sanguine ſuo genuit, ſuoque lacte enutrivit; adeoque ipſa tantum Deo, quantum vero Filio vera Mater appropinquat, licet alioqui Deus, & Maria infinito ſint intervallo disjuncti. Maria Maria inquam (iterum hoc, & ſaepius dicam) fere Creatura non eſt, eo quod a cunctis, quae a Deo creata ſunt,

quaeque

Digitized by Google

quaeque creari poſſunt, ad Divinae Maternitatis dignitatem infinita prope diſtantia intercedit. Aurea plane S. Doctoris Johannis Chryſoſtomi (*apud Metaphr.*) Verba quaeſo audiamus. *Magnum re vera miraculum* (ergo ſuper omnem naturam) *Fratres dilectiſſimi, fuit B. ſemper Virgo* MARIA. *Quid namque illa majus, aut illuſtrius ullo unquam tempore inventum eſt, ſeu aliquando inveniri poterit? Haec ſola Coelum, ac terram amplitudine ſuperavit. Quidnam illa Sanctius? Non Prophetae, non Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchae, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res viſibiles aut inviſibiles, majus, aut excellentius inveniri poteſt. Eadem Ancilla* DEI *eſt & Mater; eadem Virgo & Genitrix.... Vis ne, Virgo haec quanto Coeleſtibus poteſtatibus praeſtantior ſit*

cognoſcere? Illae cum timore & tremore aſſiſtunt, faciem velantes ſuam, haec humanum genus illi offert, quem genuit. Quem enim Angelorum DEI Filius Matrem vocavit, niſi MARIAM? Eſt ne inter creaturas, quae pleno ore DEUM Filium ſuum vocare contendat, ac prope dixi de eo conqueri audeat niſi MARIA? *Fili quid feciſti nobis ſic?* Solus AETERNUS PATER dicere poteſt: *Filius meus es tu: ego hodie genui Te: Ego ero illi in Patrem & ipſe erit mihi in Filium.* Et MARIA ſola: *Filius meus es tu; ego genui te. Ego ſum illi in Matrem & ipſe eſt mihi in Filium. Quae ergo, quae ſimilis tui in Diis Domina?*

Ne forte vero quae huc uſque de MARIA dicta ſunt, per effervescentem nimis atque exuberantem animi ardorem prolata eſſe videantur; in maximum jam Eccleſiae Doctorem S. Hieronymum intendite (niſi tamen Sophronius ſenior auctor

eſt

eſt Serm. ad Paul. & Euſtoch.) qui ita ait: *Bene plena, quia caeteris per partes praeſtatur*;. MARIAE *vero ſimul se tota infudit plenitudo gratiae* . . . . . *in* MARIAM *vero totius gratiae, quae in* CHRISTO *eſt, plenitudo venit, quamquam aliter*. Quod perinde eſt ac dicere, eandem ipſam gratiae & veritatis plenitudinem, qua CHRISTUS natura refertus eſt, in MARIAM per participationem, derivari. Atque hoc eſt quod Archangelus Gabriel dum Virginem ſalutavit, innuere nobis atque oſtendere voluit: *Ave gratia plena*. *Quid enim Sanctitatis* (ad haec verba ait S. Petrus Damiani hom. de Nativ. B. V. M.) *quid Juſtitiae, quid Perfectionis ſingulari huic Virgini deeſſe potuit, quae totius divinae Gratiae chariſmate plena fuit? Sic namque ab Angelo dum ſalutaretur audivit* Ave gratia plena Dominus tecum. Quae quum ita ſint, quidnam haeſitan-

dum nobis erit, quin veriſſime omnino de ſublimi hac atque unica Coeli Regina illud judicium per rectam conſecutionem deductum velimus; quod ſcilicet MARIA ita ſola atque unica ſit, ut neque aliam ullam majorem, aequalemve habere poſſit? quod ſola inquam, & *ſola ſine exemplo* ſit & quod, poſt Supremam Æterni Numinis Majeſtatem, aliam nullam neque eſſe, neque dari aut fingi poſſe, praeter DEI Genitricem Electam. *Qua major ſub* DEO *nequit intelligi*.

Hanc autem praecelſam, cunctis creatis rebus praeſtantiorem, atque ipſi DEO proxime accedentem dignitatem luculentiori adhuc modo egregius Doctor S. Ildefonſus lib. de Virginit. B. M. nobis exponit: *Tu enim*, ait, *es electa a* DEO, *aſſumpta a* DEO, *advocata a* DEO, *proxima* DEO, *adhaerens* DEO,

con-

conjuncta Deo. Sicut autem per hujuſmodi verba idem S. Doctor Mariae Virginis beatiſſimam ſortem appoſite admodum deſcribit; ita nos, quodnam potiſſimum de eadem proferre judicium debeamus, prorſus incertos facit. Etenim ſi ipſae Angelicae mentes prae Mariae magnitudine & conditione, veluti ſtupore defixae atque attonitae haerent; quamnam nos, in tanta imbecillitate noſtra, adaequatam ejuſdem ideam, ſeu ſpeciem concipere poterimus? Ita enim ſane de illa Angeli inter se invicem percunctantur: *Qualis eſt dilecta noſtra chariſſimi? Qualis eſt Mater, dicite, Domini. Quae eſt iſta quae aſcendit per deſertum? Quae eſt iſta, quae progreditur, quaſi Aurora conſurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata?* Atque ita tandem ad extremum concludunt. Hoc quidem, hoc nobis

unum

Digitized by Google

unum certum atque exploratum eſt, Auguſtiſſimam ſcilicet hanc Dei Matrem Sole eſſe amictam, Luna calceatam, ſyderibus redimitam, *Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus & in capite ejus corona Stellarum*. Eamdem ſcimus divitiis atque opibus quam maxime affluentem eſſe, Materno decore atque Majeſtate inſignem, Divinitate praefulgidam, & ſuper dilectum ſuum innixam. *Deliciis affluens innixa ſupra dilectum Filium*. At vero Matris hujuſce qualis & quanta excellentia, majeſtas, dignitas ſit, tantummodo demirari, non autem perfecte comprehendere, multoque minus explicare cuiquam datum eſt.

Quod autem Dei Matris praeſtantia, atque altiſſimae dignitatis ſplendor vel Angelicae mentis aciem perſtringat, nullo pacto mirandum eſt. Etenim, ſi prima Mariani aedificii fundamenta ita alte jacta fuere,

fuere, ut Creaturarum captum praetereant, ut merito de Ea ſcriptura dicat: *Sapientia aedificavit ſibi Domum. = Ipſe fundavit Eam Altiſſimus. = Fundamenta ejus in Montibus Sanctis*. Quaenam ipſarum ad tanti aedificii culmen pertingere audebit? Et ſane, ſi primum originis MARIAE momentum omnibus in unum Sanctis Sanctitate praecelluit, ſi eidem perdiae pernoctique gratiarum incrementa cumulabantur: Si tanta gratiarum, favorum tanta, tanta denique poteſtatis, dignitatis, amplitudinis pondera eo in inſtanti, quo beatiſſima illa anima, (ut Summi Pontificis Alexandri VII. in Conſtitutione *Solicitudo omnium Eccleſiarum*, verbis utar) in ſui creatione, & in corpus infuſione Spiritus Sancti gratia intuitu meritorum JESU CHRISTI ejus Filii Humani generis Redemptoris, participavit, ut totum, quantumcumque ſit,

quod

Digitized by Google

quod omnes in unum Craeturae divinitus habuere, habent, aut habiturae ſunt, ad illud minime pertingat: Si tot ac tanta ei fuere beneficia collata quum Divini Filii Mater deſignabatur, quidquum re ipſa Mater concepit? quid demum ſeptuaginta circiter annorum ſpatio, quibus, uti traditur, in humanis egit, eamdem accepiſſe putandum eſt?

Sed enim praeſentio, quoſdam mihi hoc tacite objecturos, MARIAM in primo ſuae Conceptionis inſtanti tanto gratiarum ac donorum cumulo ditatam fuiſſe, Catholicae Eccleſiae Oraculo adhuc definitum non eſſe, alioquin qui hoc ſciens volens inficiaretur, in haereſis crimen & notam incurreret. Ita profecto eſſe ne ipſe quidem negare auſim, illud tamen reponam, ne illud quidem expreſſo Eccleſiae decreto definitum eſſe, MARIAM ſcilicet per Angelorum manus in Coelum

lum Aſſumptam, in corpore atque anima Coeleſti gloria potiri: at ſi quis hujuſmodi Fidelium omnium perſuaſioni refragari auderet, Ecquod, amabo vos, de illo judicium faceremus? Nonne pertinacem hominem ac temerarium, in Mariam Virginem minime pium, quique a Fidelium coetu amandandus ad parum credentes ſit, jure deſignaremus? Quum enim Univerſa Catholica Eccleſia eamdem perſuaſionem adeo approbet, ut illi Myſterio Miſſam, Divinum Officium primae Claſſis, ſollemnemque Feſtum diem de praecepto quotannis celebrandum decreverit; ſatis certe hoc eſſe cauſae videtur, quod illud univerſis Christi Fidelibus pro certo ac rato habendum eſſe credamus. Idem ſane judicium & de Immaculatae Conceptionis Myſterio pronunciare debemus. Etenim quum in id nec jam univerſum Catholicorum Vulgus conſentire,

ſed vero celeberrimas Academias, Univerſitates, & Eccleſiaſticos Coetus doctiſſimis viris refertos, tum autem Praeſules doctrina & Sanctitate conſpicuos idem, voti etiam religione, propugnare & ſuffragio ſuo vindicare, & quod caput eſt, Eccleſiam ipſam Ei Officium ac Feſtum Solemniſſimum de praecepto decreviſſe videamus; eritne qui de hiſce omnibus modo dictis, & de Eccleſia ipſa tamquam de parum ſapiente, aut aberrante effutiet? quique potiori jure iis, qui oppoſitae opinionis partes tuentur inſipientiae (detur verbo venia) notam non inuret?

Verum iidem ipſi, ſi modo Romanae Eccleſiae Decretis & conſuetudine moventur, logicaeque regulis ſaltem inſtructi ſunt; hoc, quod plana facilique ratione proponam argumentum, perpendere minime graventur. Sancta Romana Eccleſia in Offi-

Officio Univerſo Terrarum Orbi pro die octava Menſis Decembris decreto, in octavo Reſponſorio verba haec hilari concentu ingeminat: *Sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam* SANCTAM CONCEPTIONEM: Age vero vocabulum IMMACULATA negans eſt, quod ſcilicet hominem ab omni macula immunem ac ſine peccato conceptam innuit; vocabulum porro *Sancta*, utpote affirmans, plus quam omnis maculae expertem ſignificat, eamque vim in se habet, ut mulierem nobis gratia ſanctificante repletam ac decoratam exhibeat: Nanque S. Hieronymus in cap. I. Epiſt. ad Epheſ. ſcribit. „ *Inter* SANCTUM, *&*
„ IMMACULATUM, *hoc intereſt*, *quod* Sanctus,
„ *&* Immaculatus *quoque intelligi poteſt*; IM-
„ MACULATUS *vero non ſtatim &* Sanctus,
„ *nempe quia* Immaculatus *dici poteſt ille*,
„ *qui peccatum non facit*; Sanctus *autem is*

 „ *qui*

„ *qui virtutibus plenus eſt*. „ Igitur, ſi Romana Eccleſia filiis ſuis MARIAE Conceptionem *Sanctam* praedicat, Eam, non modo ſine peccati macula, ſed quod amplius eſt, gratiae & Sanctitatis plenam fuiſſe dicendum erit. Cui ſane argumentationi nullum, ne per Sophiſticam quidem artem, reſponſum dari poſſe manifeſtum eſt: etenim tam major, quam minor propoſitio, ex quibus hujuſmodi illatio emanat, ſatis ſuperque perſpecta ſunt. Porro autem quoniam tum quum in eadem materia, eiſdemque circumſtantiis illud, quod plus eſt affirmatur; quod minus eſt, multo magis affirmetur oportet. Ergo, ſi Conceptio MARIAE Virginis, ſecundum Eccleſiae phraſim, *Sancta eſt*; eamdem *plus quam Immaculatam* fuiſſe dicendum erit.

Hic autem miram Sanctae Eccleſiae pruden-

dentiam incredibili charitate conditam animadvertere atque admirari operae pretium eſt. Ea ſiquidem opinionem *Immaculato Conceptui* contrariam, velut antiquum maleque ſuffultum, ac prope ruentem murum, continuo evertere nequaquam vult, ne forte nonnulli ejus ruinis opprimantur; proindeque ut evidens periculum ac praecipitium aufugiendo declinent, admonere non deſinit atque inclamare: *Sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam* SANCTAM CONCEPTIONEM. Oh miram certe Eccleſiae Sapientiam, qua *ſuaviter* & *fortiter* tanti momenti negotium diſponit! In quo mihi quidem ſimili ferme ratione Ea se gerere videtur, qua ſapiens ille maximeque prudens Princeps se geſſiſſe perhibetur; qui quum Sublimia Viri cujuſdam, humili tamen loco nati, merita agnoſceret, ac propterea cuperet, ut hunc Optimates

tam-

tamquam nobilem in Coetum ſuum cooptarent; animadvertens tamen, non unos ex iis, qui ſuffragia laturi eſſent, eidem adverſos futuros, candidumque in Comitiis calculum non daturos, *motu proprio* Virum illum Ducis titulo inſignivit; ex quo factum fuit, ut quem primum, tamquam ignobilem, ab Illuſtrium Conſeſſu prohibebant, deinde tamquam titulo praedioque praeditum & excipere, & colere debuerint.

Ita porro S. Eccleſia de *Immaculatae Conceptionis* MARIAE, tanquam DEI Matris, Declaratione oeconomiam ſapientiſſime inſtituit. Ea ſiquidem, quum inaequabilia ipſius merita perſpecta habeat; illuſtriora eidem nobilitatis inſignia deferre, ſcilicet primum *Conceptionis* ſuae inſtans immaculatum declarare, exoptaret: quia tamen non ignorat, eſſe aliquot in Conſilio, nempe in Catholicorum coetu, qui

erga

Digitized by Google

erga merita tantae Virginis parum aequos ſe exhibentes, in infimae ſortis conditionem atque inter *filios irae* id temporis connumeratam volunt, alte illud inclamantes, *Omnes in Adam peccaverunt*; quique minime agnoſcunt, fuiſſe hanc Supremo Legislatori facultatem, ut in propriae Genitricis favorem Legi a ſe juſſae derogaret, praecinente Sacra Scriptura: *Non enim pro Te, ſed pro omnibus haec lex conſtituta eſt*; haec, inquam, Sancta Eccleſia perſpecta habens, prudentem hanc, ſaluberrimamque rationem init; MARIAE Conceptioni SANCTAE Titulum decernit: Hujuſce Tituli fama Urbem Orbemque pervadit; & qui primum IMMACULATAE Titulo reluctabant, deinde SANCTAE Titulo & applaudant & concinant oportet: qui quidem SANCTAE Titulus, quemadmodum dicebamus, omnem citra comparationem Titulum *Immaculatae* Con-

Conceptionis exſuperat : *Sentiant omnes tuum juvamen quicumque celebrant tuam* Sanctam Conceptionem.

Jam vero , ſi magis magiſque adhuc rem hanc animo reputetis , erit cur amplius etiam gravem Sanctae Eccleſiae prudentemque praxim admirari debeatis. Ea ſiquidem etſi *expreſſe* nihil ſuper hoc voce, ſcriptove pronuntiat , opere tamen quodammodo concludit atque definit. Quod ſane perinde eſt, ac ſi diceret: „ Ego primum *Conceptionis* Mariae ſine originali labe momentum fide Divina credendum expreſſe nondum propono , eo ferme modo, quo ejuſdem in Coelum in Anima & Corpore Aſſumptionem tamquam Fidei dogma nondum declaro ; verum ſi horum Myſteriorum utrumque , Conceptionem ſcilicet , Aſſumptionemque , pari Feſto die de praecepto & Officio ſolemni pro Univerſo Terrarum Orbe

„ cele-

Digitized by Google

„ celebrandum praecipio ; ſi quod per feſtum diem a me celebratur , vel per
„ ipſum Angelicum Doctorem non niſi
„ *Sanctum* eſt ; ſi horum Feſtorum alterum
„ ſolo *Conceptionis* Titulo ex Gregorii XV.
„ praeſcripto condecoro , nihilque prae-
„ terea aliud adjungo , ſed tantummodo
„ explico , *Conceptionis* nomine momentum
„ illud intelligendum eſſe , quo Beatiſſima
„ MARIAE Anima corpori conjuncta fuit
„ (*in Alex. VII. Conſt. Sollicitudo*) ; ſi per-
„ petuum ſilentium , graviſſimaſque cen-
„ ſurarum poenas ipſo facto incurrendas,
„ ſeu clam ſeu palam , ſeu quolibet alio
„ praetextu hujuſmodi Myſterio obniten-
„ tibus indico ; ſatis ex hoc intelligi po-
„ teſt , me , ut utrumque myſterium pa-
„ rem certitudinis gradum obtineat , ex-
„ optare ; adeoque eamdem , quam de
„ MARIAE Aſſumptione Veritatem tueor,
„ ipſam eſſe , quam de ejuſdem pari-

D ter

„ ter Conceptione innuo atque profiteor.
„ Ex quo fit, ut, *infra Fidem*, utramque
„ veritatem etſi nondum expreſſa Defini-
„ tione, re apſe tamen, Filiis meis colen-
„ dam, atque obſervandam ſatis ſuperque
„ conſtituiſſe videar.„ Si igitur propter illa rationum momenta, quae ante producta ſunt, nemo unus eſt, qui MARIAE Aſſumptionis, tum quoad corpus, tum quoad animam attinet, Myſterio refragari audeat; ob eadem ipſa fere temeritatis & pervicaciae pariter convincetur, ſi quis IMMACULATAE CONCEPTIONIS myſterio repugnare auſus fuerit.

Perge porro: *Qualis ſit Mater* CHRISTI, verum judicium ferre, & quouſque ſcilicet MARIAE, utpote DEI Matris, Dignitas atque excellentia pateat, tamdem concludere ſatagamus. Ecquis autem mentis vi tanta praeditus fuerit, ut rem tam arduam praeſtare poſſit? Hic nunc demum

cum

cum B. Alberto Magno (cap. 162. ad illa verba Geneſis 1. *Congregationes Aquarum appellavit Maria*) non abs re prorſus, libet illud obſervare, nempe ſuaviſſimam vocem hanc MARIA latino idiomate, mutata syllabae quantitate Maria, hoc eſt Congregationem Aquarum, ſignificare. Cujuſnam igitur prope infinitam hujuſce myſtici Maris, MARIAE ſcilicet meritorum, profunditatem explorare erit? Ad id enim aſſequendum non modo ipſorum Angelorum intellectum imparem eſſe, ſuperius a nobis dictum eſt; ſed ipſa Virgo ſapientiſſima de se ac feliciſſima ſorte ſua verba faciens, nonniſi generatim ediſſerere novit. *Fecit mihi magna*. Et ſane quidem, quum DEUS Omnipotens Mundi Fabricam conſtruxit, verbum unum proferre ſatis habuit: *Dixit & facta ſunt*: Quum Coeleſtes formavit Orbes, ſat cito se se expedivit: *Verbo Domi-*

ni Coeli firmati ſunt: Quum mirabile hominis opificium complevit, halitus unus ſatis fuit : *Et inſpiravit in faciem ejus Spiraculum vitae , & factus eſt homo* : Quum plurima alia prodigia exeruit ; vel unum tantummodo digitum , vel , ad ſummum , manum unam adhibuit: *Digitus Dei eſt hic . = Dextera Domini fecit virtutem*: At vero quum ſibi Matrem condidit , major fuit ars requirenda , multa eademque magna , & fere incomprehenſibilia facienda erant . Nunquid ergo verbum , halitum , digitum , manum ad rem tantam Deo ſatis fuiſſe dicam? minime gentium , ſed vero Brachio forti ſuo , divinoque opus fuit ; quinimo Ipſe in id omnes Omnipotentiae ſuae nervos intendit : *Fecit mihi magna qui potens eſt . . . . . Fecit potentiam in brachio ſuo .*

Ecquis igitur , ecquis inquam prodigioſum

hoc,

hoc , Divinumque portentum dimetiri unquam audebit ? A Summo quidem Opifice , omnia in numero , pondere , atque menſura perfecta ſunt : At vero Matris ſuae , ut quae omnem Creaturarum ordinem ſupergreditur , privilegia connumerare, conditionem pendere , atque dignitatem metiri , Ipſi uni , qui eamdem fecit , vis ac facultas eſt : *Ipſe creavit illam , vidit & dimenſus eſt*. Fuerit ne igitur , etiam atque etiam percontabor , qui MARIAE utpote MATRIS DEI Dignitatem , ac perfectionem definire , atque aeſtimare valeat ? Eſt profecto. At quis tandem is eſt ? Non alius certe, praeter illum , iterum atque iterum dicam, qui eam condidit; neque alia quidem menſura , quam arundine illa aurea, hoc eſt Filio ſuo (ſervata tamen proportione) , ſuaque Sapientia dimetiri conſuevit.

Ad

Ad eamdem hanc porro rem, dignum ſane animadverſione illud exiſtimo, quod vel nullus dum, vel fortaſſe aliquis vix leviter attigerit. Etenim quum Litanias modulamur, & ſeu PATRIS, ſeu FILII, ſeu SPIRITUS SANCTI opem imploramus, *Miſerere nobis* a Populo reſponderi audimus: ac merito ſcilicet, quod profecto Summa TRINITAS *per eſſentiam* miſerationum omnium Fons & origo ſit. Quum autem MARIAM reliquoſque Sanctos nominamus, eos, ut pro nobis apud Auguſtiſſimam TRIADEM intercedant, obteſtamur: *Ora pro nobis*: = *Orate pro nobis.* Verum Eccleſia Sancta MARIAM inter ut *Sanctam*, eamdemque ipſam ut DEI *Matrem*, longum latumque diſcrimen intercedere intelligens; quum eam ut *Matrem* perpendit dicens: *Tu quae genuiſti*, *natura mirante*, *Tuum Sanctum Genitorem*, tum non tantummodo, ut illa pro nobis oret,

de-

deprecari contenta eſt, nec in eo acquieſcit; verum etiam, tamquam illa Divina Perſona foret, enixe eamdem rogat, ut ſuarum in nos miſerationum theſaurum effundere non dedignetur: *Gabrielis ab ore ſumens illud Ave, peccatorum miſerere*; videlicet, ut illam in nos peccatores miſerationis virtutem exerere velit, quam a Deo, tum quum ſibi eamdem Ipſe *Matrem* adſcivit, tanta eminentia, affluentiaque participavit, ut quemadmodum igni candens ferrum, ſic Ipſi Deo illa aſſimiletur. At ſi forte vobis haec, quae a nobis dicta ſunt, nimia fortaſſe atque modum excedentia videantur; in Angelicum Doctorem querelas veſtras intendite, qui (opuſc. 57.) humanam naturam ideo a Deo aſſumtam fuiſſe ſcribit, ut homines faceret Deos. Praeterea autem nemo non videt, quam potiori jure illa Dei verba: *Ego dixi:* Dii *eſtis*

Re-

Reginae eidemque Dei Matri applicanda ſint, quam nobis Subditis ſerviſque, atque a dira illa, qua miſere obſtringebamur ſervitute, Divino beneficio redemptis. Sic igitur merito haec Mariae vox in quoſdam, quibus Virginis honos & cultus nimius exiſtimatur, apprime congruere videtur: *Videte quod ego ſim ſola*. = *Non eſt alia Mater* Dei, *praeter me*. = *Honorem meum alteri non dabo*. Enim vero ita Dei Mater ſola, ita unica eſt, ut ei alia quaepiam aſſimilari minime poſſit: *Quae ſimilis tui in* Diis *Domina?* Et profecto, ſicut *nemo novit Patrem, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare*; *ita nemo novit Matrem, niſi Filius & cui voluerit Filius revelare*. Maria ergo (tertio quoque verbo jure merito dicere auſim) quatenus Dei Mater, fere Dea eſt; re ipſa vero non eſt Dea: res prope increata eſt, re ipſa tamen eſt creatura. Atque

haec

haec quidem mea, (*Salva tamen meliori*) ſententia eſt. Si quis tamen ſit qui majora atque meliora hiſce ſapiat, quippe *Qualis ſit Mater* CHRISTI, nobis exponere ne gravetur. Interea loci, rem a capite arceſſendo, illud unum noſſe ſatis contentus ſum, MARIAM ſcilicet, *per eſſentiam*, neque DEAM, neque rem Divinam eſſe; verumtamen, infra eam conditionem, ex creaturis omnibus, tam praeſentibus, quam futuris, ac poſſibilibus, quacumque excellentia, dignitate, & privilegio cumulatis, adeo primam eſſe, ut nedum major ea, ſed ne aequalis quidem prodire poſſit.

Tempus jam nunc eſt, ut ad id, quod ſecundo loco demonſtrandum erat, deſcendamus; ut ſcilicet in judicii lance, *Quanta ſit Mater* CHRISTI, perpendamus; quo nimirum ejus Protectio ſuos erga devotos pertingat, & quouſque in

omne genus humanum se se diffundat? In hujuſmodi autem re mature ponderanda, manifeſte deprehendemus, ideam illam, quam de Dei Matre ſibi efformant, non ſolum quotquot Haeretici ſunt, ſed nonnulli etiam, noſtra praeſertim tempeſtate, inter Catholicos obſoleta enovantes, imperfectam & mancam eſſe, & quae propterea, ut Sacrae Scripturae phraſi utamur, *minus habens* dicenda ſit; ex eo quod, variis etiam religionis obtentibus, (pro Deus immortalis! tantane horum hominum calliditas eſt?) validiſſimum illius Patrocinium deprimere atque imminuere conituntur.

Profecto Catholicae Fidei Dogma eſt, Deum Optimum Maximum Unum ac Trinum omnia intra plenitudinis ſuae veluti cancellos circumſcripta comprehendere: dictum eſt enim: *Ex quo omnia,*

per

per quem omnia , in quo omnia ; quod perinde eſt , ac ſi dicamus, DEUM rerum univerſarum principium, medium, finemque eſſe ; nihilque prorſus ſine Verbo , hoc eſt Sapientia ſua , poſſe conſiſtere: namque *omnia per ipſum* , ait Evangeliſta, *facta ſunt* , *& ſine ipſo factum eſt nihil*. At illud quoque Catholicum Dogma eſt, nos ſcilicet etſi non opis ſit noſtrae , divina tamen, praeſertim ſi Fides accedat , virtute fretos atque ſuffultos , omnia poſſe operari : *Omnia* , ſcriptum eſt , *poſſibilia ſunt credenti*. = *Omnia poſſum in eo* , *qui confortat*. Ex quo quidem intelligimus , quod tanquam prima, Univerſaliſque cauſa *per Omnipotentiam* operari ſuum proprium DEI ſit ; quodque idem Omnipotens DEUS ex creaturis ſuis , ubicumque ſua voluntate conceſſerit , majorem aliis , aliis minorem operandi virtutem impertiatur ; ut earum quaelibet, tanquam *cau-*

Digitized by Google

ſa ſecunda ſeu libera, ſeu neceſſaria, ſuos cujus generis cunque & conditionis ſint, tum ſcilicet qui ad naturalem vitam, tum qui ad Spiritualem, tum qui ad gratiam, tum denique qui ad gloriam attinent, effectus edere queat. Atque hac quidem lege Deus terrae praecepit, ut herbas, lignaque pomifera produceret; iſtis autem ut ſemina, atque fructus juxta genus ſuum efferrent, quibus homines & animalia vitam viverent, haecque illis eſſent; cuncta demum in Dei gloriam, pro qua creata ſunt, redundarent: *Omnia* enim *propter se ipſum operatus eſt* Deus; ut nimirum per univerſalem Dei concurſum, ſeu congenita, *appropriata*, (ut ſcholarum voce utamur), ſeu participata facultate, citra novam diſpoſitionem, novumque agendi praeſcriptum, operarentur: hoc enim ipſe nobis innuere voluit quum dixit: *Germinet*

minet terra etc. = *Creſcite & multiplicamini etc.* = Unicuique praeterea hominum ipſe talenta diſtribuit, ut eadem apte multiplicata opportune repeteret: ſecus autem humanae actiones minime propriae eſſent, nec meritum inde ullum, aut demeritum exiſteret, neque demum poena, praemiove ullo dignarentur.

Jam vero ipſe Deus, quos in Eccleſia ſua Paſtores conſtituit, reliquoſque, quos in eadem utcumque miniſtros deſtinavit, eos peculiaribus donis, poteſtatibus ac virtutibus inſtruxit; videlicet ut Daemonia ejicerent; ut per manuum ſuper aegros impoſitionem infirmitates curarent; ut futura praedicerent; ut innumeras Animas in Purgatorio detentas per *Indulgentias* liberarent; ut omnes omnino originis labe infectas ac deformes, proindeque Sathanae mancipatas, in libertatem vindicarent, & in venuſtiſſimas

Jesu

Jesu Christi Sponſas converterent ; ut Sacramentali abſolutione prope infinitas ob lethalia crimina commiſſa ad aeternum Supplicium deſtinatas, nedum ad Inferni Barathrum ruentes retraherent atque impedirent, ſed & in Dei amicas, filias & Christi cohaeredes commutarent ; ut panis vinique ſubſtantiam in eam quae Christi ipſius eſt *tranſubſtantiarent*, atque id genus alia quamplurima, quae Sancta Romana Eccleſia docet ac profitetur.

Agedum: ſi hi omnes, in quos tot ac tanta inſignia dona generis humani ergo divinitus conferuntur, non modo Eccleſiae Subditi ac Miniſtri ſunt, ſed etiam Deo ipſi, ſeu ob primi Parentis, ſeu ob ſuam propriam culpam hoſtes, perduelleſve aliquando fuerunt ; quot & quanta Terrarum Coelorumque Reginae, nedum Deo numqam inviſae, ſed Filiae, Sponſaeque

ipſius

ipſius praedilectae, atque bonorum omnium largitoris Matri, pro Fratribus ſuis, atque infelicibus Evae filiis conceſſa fuiſſe exiſtimandum erit? Itaque ſpecialibus etiam privilegiis condecoranda erat. Ad hoc quidem Ulpiani Juriſconſulti (*l.* 1. *ff. de leg.*) illud paucis verbis expreſſum maxime congruere mihi videtur, Auguſtam ſcilicet iiſdem privilegiis gaudere per gratiam, quibus Princeps per poteſtatem praeditus eſt. *Auguſta*, verba legis ſunt, *licet legibus ſoluta non ſit; Princeps tamen eadem privilegia illi concedit, quae ipſe habet.*

Atque hinc etiam animo reputare debemus, quod licet Deus per *eſſentiam*, uti in Scholis dicitur, *& ultimate* noſtra omnium Via, Veritas, & Vita ſit, in illoque ipſo propterea *vivamus*, *moveamur*, *& ſimus*, in quo noſtra omnis ſpes repoſita eſt, & cujus praeſidio ab omni nos malo incolumes evaſuros confidimus,

om-

omniſque tum temporalis , tum Sempiterni boni compotes factum iri ſperamus; attamen jura haec omnia per *participationem*, & in MARIAM quoque DEI tanquam *Matrem* ita conveniunt , ut ejus potentia ac patrocinium, ad cuncta bona nobis aſſequenda efficaciſſimum tamquam medium, habendum ſit. Quam ob rem Sancta Mater Eccleſia , Divini Spiritus luce illuſtrata , virtuteque ſuffulta , ſupplici hac ſalutatione honorificaque MARIAM juremerito compellat : *Salve Regina Mater miſericordiae* , *vita* , *dulcedo* , *&* *ſpes noſtra* ; eamque orat , ut pia tamquam & Clementiſſima Mater , JESUM CHRISTUM , benedictum beatiſſimi ventris ſui Fructum, nobis tandem oſtendere propitia dignetur: *In me* , (ipſa nobis MARIA dulciter ac benigne ingeminat ,) *omnis ſpes vitae & virtutis* : unde ad eam San-

ctus

ctus Doctor Auguſtinus se se convertens confidenter alloquitur : *Tu es ſpes unica peccatorum* . At quid plura? Si cuilibet uno ex Fidelibus vivida fide inſtructo CHRISTUS , majora illum , quam ipſe facturum , pollicetur : *Majora horum faciet*; numnam Reginam noſtram DEIQUE Matrem potiori jure , ac ſine ulla propemodum comparatione , multo majora effecturam affirmare trepidemus?

Ergo MARIA non ſolum , noſtra tamquam Patrona atque Advocata orat , verum etiam eadem ipſa *faciet* : at enim longe alia conditione, quam caeterae Creaturae, nempe validiſſima virtute ſua, qua, quemadmodum dictum eſt, per participationem praedita atque pollens eſt, noſtra utpote Protectrix potentiſſima orando faciet , eodemque ferme modo , (*ratione ſervata*) , quo Divinus Filius potentiſſimus noſter apud Patrem Advocatus &

Beneficus eſt , uti idem ipſe ait : *Ego rogabo Patrem etc.* Satis enim ſuperque haec nobis Sancta Mater Eccleſia innuit, quum MARIAM Infirmorum ſalutem, peccatorum refugium , Afflictorum conſolatricem, Chriſtianorum auxilium, Coelique januam ſalutans praedicat atque collaudat ; propterea quod per eamdem , tamquam Paradiſi oſtium , quemadmodum oratio noſtra omnis ad DEUM aſcendit , ita omnis divinarum gratiarum affluentia ad nos deveniat , & quicumque ad aeterna gaudia admittuntur, per eamdem illis ingreſſus recludatur . Quamquam autem omnes hujusmodi res atque eventus in tempore peragantur, verumtamen jam a ſaeculis aeternis Divina in mente conſultiſſime praeordinata fuerunt, atque decreta; videlicet & cui, & quando , & ubi , & quantum , & quale , & quomodo, & per quae media, & quibuſcum-

cumque omnibus cum circumſtantiis conferanda forent, praeviſa. Quemadmodum ergo Sol nulla nova divina operandi virtute, ſed ea lege, quae primum a Deo conſtituta fuit, quaeque indeſinenter perſeverat, quotidie oritur atque convertitur, illuminat atque influxus ſuos impertitur; ita profecto Maria quum *ab initio & ante ſaecula* Dei ac divinae gratiae Mater deſignata fuerit, eidem propterea dignitati ad Saeculi finem uſque divina jura jam tum continuo duratura ita acceſſerunt, ut ab illo quidem tanquam ab *origine*, per iſtam vero tanquam *per medium* proximo loco in reliquos Fideles Divinorum favorum ubertas & copia, per certum veluti rivum, deducta illaberetur; ſive ut, (juxta aliorum non incongruam dicendi rationem) a Deo, tamquam a capite, per Mariam, tamquam per col-
 lum,

lum , in reliquum myſticum Christi Corpus eorum omnium influxus dimanaret.

Aliam autem hanc rationem ſi ineamus , luculentius adhuc perſpiciemus & efficacius , quantum in Maria praeſidii ad ſalutem omnibus paratum ſit . Porro mortales ! luctuoſo experimento nobis affatim compertum eſt , Daemonem, una cum mundo atque carne , quibus ille ſtricto foedere jungitur , animarum noſtrarum hoſtem infenſiſſimum , Deoque rebellem , tanquam omnis gratiae expertem, ſola Dei permiſſione , tot ac tanta nobis quum temporalia, tum ſpiritualia damna & exitia, quotidie moliri & aſſidue parare ad nos perdendos : quam quidem ad rem , qua per ſpecies , qua per illuſiones, qua per fraudes, qua per verſutas ſuggeſtiones pro viribus enititur & perenne graſſatur. Si igitur in noſtris in-

infeſtiſſimis adverſariis tantum virium ac facultatis eſt in noſtram perniciem, quanto majora in Maria Dei Matre & digniſſima Mundi Regina parata nobis eſſe bona ac praeſidia ad ſalutem exiſtimandum erit? ut ſcilicet tota se se hujuſmodi validiſſimis hoſtibus objiciat, hominesque in ſuam clientelam adſcitos, qua Sanctis inſpirationibus, qua gratiis, qua cunctis virtutibus, quibus pollet, & per quas creaturis univerſis ſuis tamquam obſequentiſſimis imperat ſubditis, protegat atque tueatur. Quod autem Maria re vera in univerſas Creaturas tam Terreſtres, quam Coeleſtes, atque etiam Infernas, imperium habeat, is tantummodo inter Catholicos inficiari audebit, qui horum omnium de Ea *Reginae* titulum iniquo animo audire patitur, quique religioni non habet ab ipſa Sancta Matre Eccleſia mendacii incuſari, atque con-

convincii, illis ſcilicet vocibus, quas tam ſaepe hilari plauſu MARIAM ſalutat: *Regina Coeli laetare*: = *Ave Regina Coelorum*: *Ave Domina Angelorum*: = *Regina Angelorum*, *&* *Sanctorum omnium*. = *Regina Mundi digniſſima*. Quum haec vero ita ſint; ſi hominibus aliquot, Divini miſterii charactere inſignitis Solem, elementa, Daemones ipſos obtemperaſſe compertum eſt; quo jure MARIAM, veluti Mundi Reginam Auguſtiſſimam Subditis, atque Dominam ſervis imperare, negari poterit? Si Supremus rerum omnium Dominus ac moderator vel in ſe ipſum Matri ſuae imperium attribuit, ſibique glorioſum ducit eidem morem gerere, quemadmodum ſcriptum eſt: *&* *erat ſubditus illis*: quanto magis eidem in ſuamet ſervitia dominium ac principatum impertietur, praeſertim quum id omnis ratio exigere videatur, atque ita profecto ſit? Quandoquidem

Digitized by Google

quidem in Coeleſti Patria , quae recte honeſteque jura quis in terris obtinuit , non modo non amittuntur , ſed potius perficiuntur.

At enim ſi reponatur, quod improbo malorum Suggeſtori mille contra genus humanum nocendi artes ſuppetunt , ut idem Animas J. C. ſanguine redemtas in Tartara praeceps agat ; quot numero , & ego quaeram, quantaque ſapientiſſima Regina, eademque peccatorum Mater ad eas ſervandas , & in gloriae ſuae ſocietatem , tamquam ſuam haereditatem, totque tantorumque ſuarum aerumnarum, divinique Nati ſui perpeſſionum fructum, adſciſcendas non excogitabit ? Numquid non ad eaſdem tuendas *Terribilis ut Caſtrorum acies ordinata* prodibit ? Eamdem quidem , etiam atque etiam perpendite , per Sanctam Eccleſiam *Davidicam Turrim* appellari, a qua mille clypei & fortiſſima atque impe-

impenetrabilia arma dependent. Eadem quippe etiam eſt, de qua velut de altera Judith noſtra ſtrenuiſſima, quae ſuperbo alteri Holopherno caput obtruncat, populumque ſuum, hoc eſt Eccleſiam a Novatorum erroribus ſeu ſoſpitem ſervat, ſeu obſeſſam liberat, glorioſum hoc victoriae carmen Eccleſia ipſa iterum, ſaepiuſque modulatur: *Cunctas haereſes ſola interemiſti in univerſo Mundo*: perinde ac ſi dicat: Tu ſola, invicta Heroina, Tu ſola ſtrenue adverſus omnem impietatem pugnando, omnibus, quae per terrarum Orbem excitatae ſunt, ſectis cervicem praecidiſti. In quo potiſſimum quidem Eccleſiae de Maria Virgine encomio verbum illud *Tu ſola* praecipua animadverſione merito dignum reputatur, per quod Materni brachii ſui robur, ſuique veluti gladii vis non innuitur ſolum, ſed etiam aperte declaratur.

Merito

Merito itaque vel ipſi pueri, ac Mulieres per Eccleſiam Sanctam a teneris annis hac veritate imbuti atque edocti, claro aſſiduoque vocis modulamine cum Sancto Auguſtino concinunt. *Sancta* MARIA *ſuccurre miſeris, juva puſillanimes, refove flebiles*, & mox, *ora pro populo .... ſentiant omnes tuum juvamen*: idque eo quia ex Melliflui dicto certiſſimam fiduciam habeant, quod ſcilicet MARIA *nobis ſuperplena* ſit. Ipſa ſiquidem, ut prudentiſsima ac potentiſsima Virgo, opportune & efficaciter operatur, ut vero pientiſsima & clementiſsima, pro nobis ſupplicis officium praeſtat. JESUS CHRISTUS verus aeque DEUS atque homo, ETERNI PATRIS ac MARIAE Filius Oceanum eſt, unde ab inexhauſta tamquam ſcaturigine, omnes gratiarum ac favorum aquae dimanant atque redundant; MARIA vero Mater illius Fons eſt (hoc enim

G ejus

ejus proprium Hieroglyphicum habemus) perquem in univerſam Eccleſiam tamquam in prata, viridaria, campos uberrimi Coeleſtium donorum rivi decurrunt, quibus ita omnia foecundentur, ut pleniſsimi inde fructus & ſaluberrimi exiſtant. Jure ergo ſibi Fideles gratulantur, quod *de plenitudine ejus omnes accipiunt*.

Aliud jam, quod ſequitur, argumentum, magis magiſque hanc, de qua agimus, rem vobis in aperto ponet. Archangelus Gabriel ante Divini Verbi Incarnationem dum Virginem ſalutat, eamdem gratia plenam eſſe confitetur: *Ave gratia plena*; poſtquam autem ipſa Dei nuncio aſſentiendo, in utero ſuo Verbo carnem ſuppeditavit, idemque ipſum conceptum per menſes novem ſua propria ſubſtantia aluit, in lucem editum ſuo proprio lacte enutrivit: (quid pluribus verbis Jesu Christi aetates ſingillatim

tim percurrere opus erit?) poſtquam, in quam, per annos tres & triginta magna ſedulitate illi inſervivit, illi aſsiduam se comitem atque imitatricem dedit, per totam ſuam demum acerbiſſimam paſſionem illi poenarum se ſociam ac dolorum participem fecit, prout ei Simeon dixerat: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, deque ea Eccleſia moerens canit: *Stabat Mater doloroſa juxta Crucem etc.* tum vero ego quaeram, num Dei Mater, poſt tantum temporis ſpatium ab Angelica Salutatione delapſum, tot piis operibus, Sanctiſque actionibus uſque ad extremum vitae ſuae de Deo benemerita, novis donorum & gratiarum acceſſionibus locupletior facta fuerit? Neminem quidem inter Christi Fideles reperiemus, qui non reſpondeat, ipſam incomprehenſibilem pene donorum theſaurum acquiſiviſſe, proptereaque An-

gelorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, omnium Sanctorum, Coeli denique ac Terrae Reginae titulo merito inſignitam. Profecto quemadmodum quum vas aliquod utcumque amplum, plenum eſt, amplioris materiae minime capax eſſe dignoſcitur, adeout ſi alius liquor ſuperinfundatur diſpergi foras neceſſe ſit; pari etiam ratione quum inſigne illud *Vas devotionis* ita divinae gratiae plenum eſſet, ut amplius in se capere aut continere non poſſet, merito ſequitur ut dicamus, MARIAM Virginem ſibi plenam, nobis autem ſuperplenam fuiſſe: Eodemque ferme modo, quo Divinus ipſius Filius quum *gratiae* plenus eſſet *ac veritatis*, ob perpetuam tamen ſuam, qua nos dilexit, charitatem, pro nobis miſeris peccatoribus acerbiſſimas ſubire Cruciatus, inque Crucis patibulo mortem oppetere, atque hoc pacto gratiis gratias

accu-

accumulare voluit; ita Charitatis & Miſericordiae Mater gratiarum theſauris ac divitiis pro nobis auxit, quae ad calculum revocare, omnium Creaturarum mens & cogitatio imparem omnino se eſſe confitetur.

Magna igitur providentia ac ſaluberrimo conſilio, ut propitiam praeſentemque nobis MARIAM faciamus, Sancta Mater Eccleſia tot varias ejus imagines recolendas proponit, tot Feſtos dies variis nominibus celebrandos inſtituit, multaque alia pia ac religioſa exercitia in ejus honorem nedum permittit, verum etiam approbat, fovet, & ad ea ferventius frequentanda Fideles ſaepiſſime conceſſis *Indulgentiis* allicit; non quo quidquam de ſupremo Filii honore detrahatur, cujus myſteriis recolendis ſinguli Dominici aliique multi feſti dies decreti ſunt, ſed quo vehementius fidelium animos ad

MA-

Mariae pietatem noſtram tanquam Advocatam apud Deum potentiſsimam incendat. Hac etiam de cauſa per totum fere Chriſtianum Orbem pia ac devota conſuetudo ſervatur, ut fere quotieſcumque auguſtiſſimum Sacramentum publicae Fidelium venerationi exponitur, toties ante Jesum Christum ſub panis ſpecie obumbratum Beatae Virginis Litaniae concinantur, tumquum proxime jam Euchariſtica benedictio adſtantibus impertienda eſt: Ut ſcilicet ex hoc intelligamus, Christum Jesum alterum tamquam Salomonem ſapientiſſimum Regem Mariam Matrem ſuam proprii ſolii ſociam velle, quemadmodum per ſacrum pſaltem illis ſcilicet verbis praedictum eſſe videtur: *Adſtitit Regina a dextris tuis*. In eodem, inquam, ſolio Coeleſtis Regina, pretioſa ac decora, ſplendida & inſignis *In veſtitu deaurato*

to charitatis ſedet : circumſtat illam diverſarum nationum , ſexuum , Regularium Inſtitutorum, piorumque ſodalitiorum devotus coetus, quorum alii precarias coronas , alii Roſaria , alii multiformes devotas veſtes , ſcapularia , ſacraſque zonas praeferunt , quo ſcilicet piae devotaeque infelicium peccatorum preces per Matrem ac Reginam clementiſſimam ad Divinum Regem Filium ſuum permeent , utque viciſſim a Rege omnis pietatis & miſericordiae pleno , per Mariae invocationem atque interceſſionem, coeleſtes , ſuaeque una propriae ad hos benedictiones impertitae deſcendant: Suae , inquam , una propriae ; etenim Eccleſia etiam atque etiam orat , *ut nos cum Prole pia benedicat Virgo* Maria. Sicque Divinus Filius dignum Genitrici ſuae honorem habet ; ipſaque ſimiliter Mater benigniſſima

ma egenos & afflictos, atque in hac lacrymarum valle exules Evae filios Divini Regis ac Judicis Majeſtate perterritos conſolatur; qui ſiquidem Regem ipſum recta adire minime audentes, propitium per MARIAM acceſſum atque alloquium expectant.

Quam autem in MARIA ſpem ac ſolatium repoſitum habemus, Mellifluus Bernardus (homil. 2. ſuper *Miſſus*) verbis hiſce mirifice confirmat. *Stella*, inquit *ex Jacob orta*, *cujus radius univerſum Orbem illuminat*, *cujus ſplendor & praeſulget in Supernis*, *& Inferos penetrat*, *terras etiam perluſtrans*, *& calefaciens magis mentes*, *quam corpora*, *fovet virtutes*, *excoquit vitia*. Atque haec quidem Sancti Doctoris verba cum illis, quibus Sancta Eccleſia MARIAM Virginem affatur, appoſite conſentiunt: *Solve vincla reis*, *profer lumen caecis*, *mala noſtra pelle*, *bona cuncta poſce*.

Digitized by Google

ſce. Sumens illud Ave peccatorum miſerere. Ubi obſervandum, quod *poſce* & *miſerere* ideo dicitur, quod ſcilicet a MARIA, Divini Filii ſui fere inſtar, utrumque praeſtetur.

Si autem hujuſmodi veritates ac rationes rerum geſtarum exemplis, quae utpote ſenſibus obnoxia, ad fidem faciendam aptiora ſunt, comprobari exoptatis; prius a vobis mihi, quot Coeli Sydera, quot maris arenae, quot imbrium, Oceanique guttae ſunt ediſſeri atque enarrari velim; tum ego deinde miracula, prodigiorum exempla, Coeleſtes viſiones apparitioneſque recenſebo, quae Mundo in generis humani favorem Divina Mater exhibuit. Vel una ergo MARIA a cunctis nos Infernis Poteſtatibus, a cunctis ad malum ſollicitationibus, a cunctis animae corporiſque periculis quum aeternis, tum temporalibus potentiſſima ſua virtute eri-

Digitized by Google

pere valet ac liberare , quemadmodum Sancta nos Eccleſia orare docet : *A periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa & benedicta*: eamque ob rem Draconem vinculis adſtrictum ſuis ſub pedibus, contrita cervice , ſubditum atque oppreſſum tenet. MARIA nos bonis omnibus ſeu corporalibus , ſeu ſpiritualibus tam largiter ditare poteſt, ut Filii Dei nominemur & ſimus , atque ad aeternae ſalutis Portum perveniamus. Ipſa ſiquidem pulchrae dilectionis , *filialiſque* , ut ajunt , timoris, purae fidei, verae cognitionis, ſanctaeque ſpei optima ac vera Parens eſt: Ipſa ut luna pulchra eſt, atque ut ſol electa , ut univerſum genus humanum ardenti ſuae charitatis igne, Coeleſtique ſplendore perfundat , quo certe juſtorum animae virilius divino amore inflammentur, ſanctioribuſque operibus noctu diuque praefulgeant , peccatores autem e tenebris ad

lucem

lucem emergant: Quoniam, quemadmodum Jesu Christo utpote *Filio omnia dedit Pater in manus*, ita bonus Divinuſque Filius eadem ipſa Mariae, eo quod naturalis illius Mater ſit, communicavit. Alia adhuc jam ratio nobis ineunda & ſubducenda eſt, ut quanta in Mariae bonis, & quam dives ſumma ſit, multo magis conſtet. Profecto nihil prohibet aſſerere, quin vel ipſa ratio ſuggerit ut dicamus, Deum, tamquam Mariae Patrem, eam cunctis donis coeleſtibus dotaſſe, & Spiritum Sanctum tamquam ejuſdem Sponſum parem etiam dotem doti addidiſſe, Divinum quoque Filium tamquam ex aſſe haeredem bonorum ſuorum Matrem inſtituiſſe. Conficite jam nunc ſummam hanc, & poſtquam, ſubducto calculo, expoſitum mihi atque enarratum a vobis fuerit, quanta primum dos Mariae ſit, quanta autem ſuperaddita,

H 2 quan-

quanta haereditas, quanta meritorum, donorumque ſuppellex ab eadem, per totum illud temporis ſpatium quoad illa vixit, adepta, per annos nempe circiter ſeptuaginta a primo ſuae Conceptionis momento, quibus, eminentiſsimo efficaciſsimoque Divinae gratiae adjutorio, virtutum omnium gradus indeſinenter decurrit; Hanc, inquam, immenſam prope ſummam ſubducite, tum autem ego protectionis tantae Matris magnitudinem exponere ac recenſere incipiam. Quod ſi Dei Matris tantam eſſe praeſtantiam & dignitatem eſſe colligam, ut nedum Univerſum hunc terrarum Orbem, ſed complures etiam, ſi qui forent, gubernare poſſit, nequaquam aberraverim, nihilque dixerim quod a vero alienum ſit: Etenim & praeſens terrarum Orbis & poſsibiles alii, finitae res eſſent; quum contra Mariae tam dos, quam haeredi-

tas

tas, & innumera alia bona, etiam ſuis propriis meritis acquiſita, diverſam ad claſſem referenda ſint.

Ergo huc omnes afflicti, miſeri, egentes, & quicumque aut tentationibus, aut alio aerumnae genere divexati, & graviſſimo in diſcrimine conſtituti eſtis, huc, inquam, adeſte; vos enim S. Abbas Claravallenſis blande invitat ac perhumaniter conſolatur: *O quisquis te intelligis in hujus ſaeculi profluvio magis inter procellas, & tempeſtatis fluctuare, quam per terram ambulare, ne avertas oculos a fulgore hujus Syderis, ſi non vis obrui procellis, ſi inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulus tribulationum, ſi jactaris ſuperbiae undis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi aemulationis, ſi iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concuſſerit mentis.... Si criminum immanitate turbatus, conſcientiae foeditate confuſus, judicii horrore perterritus, bara-*

thro

thro incipias abſorberi triſtitiae , deſperationis abyſſo , cogita MARIAM ; *in periculis, in anguſtiis , in rebus dubiis* MARIAM *invoca.... ipſa tenente , non corruis ; ipſa protegente , non metuis ; ipſa propitia , pervenis etc.*

Huc jam quotquot in articulum *Communionis Sanctorum* credentes eſtis , accedite, ac DEI Matrem prope infinitum bonorum cenſum , & idcirco nunquam exhauriendum , penes ſe habere animo reputantes, magnam in ſpem voſmetipſos erigite, fore ut de illo Eadem univerſo Mundo aliiſque , ſi qui forent , impertiatur. Etenim ſi Joſephum, qui divina diſpoſitione *quaſi Pater Regis* conſtitutus fuit , Pharao tam amplum in omni Imperio ſuo arbitrium attribuit, ut & Regni Praefectus , & Regiae Gazae diſtributor, & juſtitiae moderator eſſet, cujus proinde nutibus ſubditi omnes ita obtemperarent , ut non modò

ex

ex eis nemo , injuſſu illius manum (ut ita dicam) pedemve movere auderet, ſed & ſupplices omnes illius voluntati Rex permitteret quum diceret: *Ite ad Joſeph:* Quam multa, quaeſo , quamque magna Dei Omnipotentia , Sapientia , Bonitas in Mariam conferet , quae quidem non quaſi Mater , ſed vera illius ac naturalis Mater eſt? Numquid Deum in Mariam parciorem , & minus , quam Pharao in Joſeph , liberalem futurum eſſe exiſtimabitis? Minime certe id quidem. Ergo Deum, concludamus oportet, Mariam cunctarum creaturarum , tum quae exiſtunt , tum quae exiſtere poſſent , Dominam conſtituiſſe, illique tale diſponendi arbitrium conceſſiſſe , ut quotquot ſupplices ad Ipſum accedunt , eiſdem ut Mariam adeant, edicat. *Ite ad Mariam.*

Verum ut quae hactenus dicta ſunt, vel optime

time cogitatione comprehendatis, quamque tutum, juſtumque ſit Sanctae Eccleſiae ſenſui circa MARIAE Virginis cultum atque honorem acquieſcere, hanc, quae ſequitur, ſimilitudinem modis tamen aptandam ſuis, excipere ne gravemini. Conſtituite vobis ante oculos novam quamdam veluti navim a peritiſſimo inter Artifices conſtructam atque perfectam, cujus quidem JESUS CHRISTUS Navarchus ſit, S. Petrus Gubernator, nautae vero CHRISTI ipſius Apoſtoli: Jam vero fingite animo reliquos omnes homines, qui navim hanc conſcenderunt, his ferme vocibus inclamare. „ O quotquot eſtis, quibus ad
„ Indiarum gentes, novumque Orbem na-
„ vigare conſtitutum eſt, huc accedite, ad
„ novam hanc eamdemque probe & ele-
„ ganter inſtructam, omnibuſque rebus or-
„ natam navim venite: Haec eſt, quae
„ nec piratarum incurſus, nec naufragia per-

„ time-

„ timeſcit: eadem haec tempeſtatibus quidem & maris aeſtibus acta fortaſſe erit, at nequaquam certe peribit: Dux enim ejus ea virtute & poteſtate pollet, qua mari & ventis imperet, & procellas in tranquillitatem, ſecundoſque ac placidos ventos convertat. „ Contra vero vetuſtam aliam naviculam vobis fingite tum peſſime inſtructam, tum non modo uſquequaque rimoſam, ſed etiam fatiſcentem, cujus quidem gubernator mediterranei licet maris tantummodo litora radere aſſuetus, quoſcunque tamen homines vel ad extremas gentes navigaturos, ad eam, tanquam prae altera navi modo dicta aptiorem tutioremque, conſcendendam enixe ſollicitaret, utque magis ei fides adjungeretur, temere effutiret, alteram ipſam multis eſſe refertam mercibus, eiſdemque Principis edicto prohibitis, ſuſpectis ſaltem, ſuperfluis,

Digitized by Google

fluis, atque ſuperſtitioſis, rebus praeterea multis ad navigationis uſum quam maxime neceſſariis deſtitutam, multaque in ea ſarcienda, & coaptanda, tum vela ſcilicet atque rudentes, tum malos atque anthennas, tum denique meliorem atque tutiorem anchoram, quae Spei Symbolum eſt, deſiderari. Interea autem loci cogitationi veſtrae S. Petrus obverſetur, qui hujuſmodi homini nutu ſilentium indiceret, cenſuraſque minitaretur, niſi & ab illa mente deſiſteret, & incautos homines amplius laceſſere ac ſollicitare conquieſceret. At vero idem homo ſi petulantior factus, S. Apoſtoli juſſa, minaſque contemnere, neque majori ſolum voce clamare, ſed & publicis libellis eidem contradicere magis ac magis auderet, quid quaeſo vos, auditores praeſtantiſſimi, de nauclero iſto animo reputaretis? Contumacem,

ut

ut opinor, ſuperbum, temerarium, cenſuris irretitum, & fortaſſe etiam mentis parum compotem merito ac jure conclameretis: quippe qui tum ſe, tum caeteros evidenti naufragii periculo exponeret.

Pari quidem, quin etiam potiori jure heic mihi inclamandum eſt, (atque utinam ab Oriente ad Occidentem, ab Auſtro ad Aquilonem vocem meam exaudiri contingeret:) „ Huc omnes, huc quotquot
„ in procelloſo hoc ſaeculi mari, pro ſum-
„ ma Dei Optimi Maximi beneficentia, ad
„ tutiſſimum ſalutis portum etiam atque
„ etiam pervenire exoptatis, ad Myſticam
„ S. Petri navim approperate, in Catholi-
„ cae ſcilicet ac Romanae Eccleſiae ſinum
„ perfugite, illius non Dogmaticas ſolum
„ definitiones ac *praeceptiva* Decreta, ſed
„ ſuas pariter & graves Caeremonias ample-
„ ctamini; leviores autem rubricas quae-

„ que in ea utcumque pia exercitia fiunt,
„ & conſuetudines permittuntur, ne deſpi-
„ cite, neque religioſo, quod ajunt, ſi-
„ lentio tantummodo obvolvite, ſed ver-
„ bis & operibus commendate. Qui enim
„ fieri poteſt, ut quae divino ſpiritu gu-
„ bernante ad ſydera navigat, omnia extra
„ periculum, omnia in tuto, omnia in-
„ fallibilia in se collocata non habeat?
„ Haec ergo myſtica navis ſi quae mer-
„ cium veſtrarum, hoc eſt piorum exerci-
„ tiorum, ſemel conſulto, uti aſſolet, ad-
„ miſerit, quod ad se attinet, ſemper non
„ modo tuta atque incolumia, ſed etiam
„ ſecura praeſtabit; ſin vero poſtmodum
„ in ſuperſtitionem, ſuſpicionemve vene-
„ rint, ad rationem temporis ſua conſilia
„ accommodando, ea regerere feſtinabit.
„ Igitur, ut ne longius ab eam, ſed ut
„ unde egreſſa eſt mea regrediatur oratio,
„ quicumque vobis extra Petri navim ſa-

lutem

„ lutem exhibet , aut ſecuritatem ; eum il-
„ lico rejicite , ac tamquam ſuſpecto mini-
„ me aures praebete , nemini prorſus ve-
„ ſtram fidem adhibite, nemini morem ge-
„ rite , praeterquam Romanae Eccleſiae ,
„ niſi aeternae ſalutis veſtrae naufragium
„ ſubire velitis . Non ſane heic , non de
„ nihili rebus , non de quiſquiliis agitur,
„ ſed de ſumma ſcilicet re atque graviſsi-
„ ma : nec ideo quia parum quaedam eſſe
„ videntur , idcirco aſpernanda, quum ſae-
„ piſsime, uti commune adagium fert, exi-
„ gui foraminis cauſa , non modo parvam
„ ratem , ſed ingens etiam quandoque na-
„ vigium ſubmergi ac perire contingat.

Quum autem ex hactenus recenſitis Mariae dignitas ac protectio tanta ſit , tantaque proinde nobis fiducia in eadem reponenda , ac viva ſpes collocanda ; niſi tamen ejus patrocinio dum confidimus, in bonis apprime operibus & vitae

ac

ac morum integritate nervos omnes aetatis, induſtriaeque noſtrae contendamus, ut illi, ac Deo reapſe placeamus, actum de nobis erit. Etenim ſi quis, o utinam, iterum utinam id omnibus perſuaſum eſſet, eo inſipientiae deveniret, ut fretus devotione, quam erga Dei Matrem haberet, (cujus patrocinium, quantum ego intelligere poſſum, ſatis ſuperque dictum eſt, adeo validum atque potens eſſe, ut percipi humano captu non poſſit,) foedam ac diſſolutam ſe agere vitam ac flagitia flagitiis accumulare poſſe ſibi perſuaderet, quod per tantam Patronam ſuam omne ſe evaſurum eſſe diſcrimen ſibi polliceretur; profecto is & temere atque arroganter ageret, & ſuamet ſtultitia deciperetur. Qui enim, propoſita ſibi hujuſmodi impunitatis ſpe, peccatis & facinoribus ſeſe mancipando, obſtinati animi vitio in

utram-

utramque, quod ajunt, aurem dormit, etiamſi hoc pacto in Jesum Christum, quin etiam in Sanctiſsimam Triadem, cujus clementia, charitas, miſericordia infinita eſt, praecipua pietatis & devotionis ſpecimina exhibeat, nihil certe illi hoc ſuffragabitur. Ergo Mariae auxilium in illis periculis & miſeriis tantummodo praeſto eſt, ubi ſeu Tartarei hoſtis verſutia & tentatione, ſeu mundi dolis & anſa, ſeu propria fragilitate, & immoderatis affectibus in diſcrimina atque miſerias homines incidunt, & quod ad se pertinet, ad evitandum malum pro viribus enituntur. Quamobrem, (ita enim aliquando inter pias aeque ac faceta hominum colloquia commemoratum audivi) quum forte quemdam hominem Taurus infeſtus inſequeretur, atque eidem alter id conſpicatus dixiſſet: *in* Maria *fidem omnem habeto, atque*

idcir-

idcirco a fuga abſiſtito, tum ille lepidus aeque ac ſagax magis magiſque curſum intendens, *itane vero*, reſpondit, *inepte conſiliarie? apage te a me cum iſtiuſmodi conſiliis. quinimo magna Domina dicit: Tu te ipſum adjuva, & ego adjuvabo te*; itaque ſe pedum ſuorum ope, veluti concitatis ad celeritatem equis, ab evidenti mortis diſcrimine liberavit.

Neque vero incongruum erit, quae hactenus dicta ſunt altero valde appoſito exemplo, quod penes probatiſsimos ſcriptores me legiſſe memini, comprobare. Factum autem hujuſmodi eſt. Forte quidam Etruriae Comes ſe MARIAE devotioni addictum apprime eſſe ſibi blandiebatur, quum tamen vitam Chriſtianis praeceptis parum conformem tranſigeret. huic in ſylvis erranti, a ſociis diſtracto atque ex multa venatione laſſo famelicoque benigniſſima Domina alie-

na

na ſub ſpecie adſtitit, lautaſque ſane atque opiparas dapes, in polluta tamen & graveolenti lance offerens, hominem ad comedendum invitavit: verum ille cibi licet avidus, ac ſtrenue eſuriens, attamen guſtare renuens „exquiſitus pro-
„ fecto „ inquit „ o Domina hic cibus eſt,
„ & grati ſane mihi ſaporis foret, atque ex
„ illo ederem lubentiſſime; verum patina
„ iſthaec adeo mihi ſordeſcit, ut nau-
„ ſeam potius ac vomitum, quam appeti-
„ tum provocet, atque adeo ex ea ne
„ tantillum quidem deguſtare audeam: „
Ita, (tunc Regina Coeleſtis ſuſcepit)
„ *ita plane & tu mihi*, quae non ruſtica
„ mulier, ut tibi videtur, ſed MARIA
„ DEI Mater ſum: quandoquidem pius iſte
„ tuus devotionis, quo me proſequeris,
„ quemque mihi exhibes cultus, eximia ſa-
„ ne ac praeclara res eſt; verum conſcien-
„ tia tua, veluti patina iſthaec, inquinata

„ adeo & ſordida eſt, ut ad illum excipien-
„ dum nauſea prohibear. Animae ergo tuae
„ maculas prius abſtergito, ac probe mun-
„ dato, & tunc, quod mihi afferes, do-
„ num, quum gratum mihi, tum tibi pro-
„ ficuum futurum erit „ Atque haec ego de MARIA Virgine DEI Matre habui, quae dicerem, Auditores praeſtantiſſimi; coeterum eadem ipſa conferre atque aeſtimare veſtrum erit: quoniam mihi quidem profecto perſuaſum eſt, quod *Qualis & quanta ſit* MARIA *Virgo Mater* CHRISTI, qui eloqui pro dignitate poſsit, nemo unquam fuerit.

Dixi ſub correctione S. M. Eccl.
TERTIARIUS SERAPHICUS.

ALEXAN-

ALEXANDER PAPA VII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Innovatio Conſtitutionum & Decretorum in favorem ſententiae aſſerentis, animam B. M. V. in ſui creatione, & in corpus infuſione a peccato originali praeſervatam fuiſſe editorum.

SOllicitudo omnium Eccleſiarum, quam licet meritis & viribus longe impares D. O. M. voluntate, & providentia gerimus, in id nos anxie tenet intentos, & vigilantes, ut ſcandala quae inter fideles pro humanae naturae corruptione, & fragilitate neceſſe eſt, ut veniant, quantum fieri poteſt pauciſſima exoriantur; utque exorta quam celerrime, & quam diligentiſſime amoveantur: nam iis per quos veniunt certam peccati perniciem; quibus vero praebentur, praeſens afferunt labendi periculum: quorum Nos pro noſtro Paſtoralis officii debito, & damnum ſummo-

K 2 *pere*

pere dolemus , & diſcrimine aſſidue urimur .

§. I. Sane vetus eſt Chriſtifidelium erga ejus Beatiſſimam Matrem Virginem Mariam pietas , ſentientium , ejus animam in primo inſtanti creationis , atque infuſionis in corpus fuiſſe Dei gratia ſpeciali , & privilegio , intuitu meritorum Jeſu Chriſti ejus Filii , humani generis Redemtoris , a macula peccati originalis praeſervatam immunem ; atque in hoc ſenſu ejus Conceptionis Feſtivitatem ſolemni ritu colentium & celebrantium . Crevitque horum numerus , atque hujuſmodi cultus poſt editas a fel. rec. Sixto PP. IV. Praedeceſſore noſtro in ejus commendationem Apoſtolicas Conſtitutiones , quas Sac. Conc. Trid. innovavit , atque obſervari mandavit. Aucta rurſus & propagata fuit pietas haec , & cultus erga Deiparam poſt erecta hoc nomine , approbantibus Romanis Pontificibus , Religioſum ordinem & Confraternitates , ac con-

conceſſas ab iiſdem indulgentias ; itaut accedentibus quoque pleriſque celebrioribus Accademiis ad hanc ſententiam , jam fere omnes Catholici eam complectantur .

§. *II. Et quia ex occaſione contrariae aſſertionis in concionibus , lectionibus , concluſionibus , & actibus publicis , quod nempe eadem Beatiſſima Virgo Maria fuerit concepta cum peccato Originali , oriebantur in Populo Chriſtiano cum magna Dei offenſa ſcandala , jurgia & diſſentiones ; recol. mem. Paulus PP. V. etiam Praedeceſſor noſter vetuit horum opinionem praefatae ſententiae contrariam publice doceri , aut praedicari . Quam prohibitionem piae memoriae Gregorius PP. XV. ſimiliter Praedeceſſor noſter ad privata etiam colloquia extendit : mandans inſuper in favorem ejuſdem ſententiae , ut in Sacroſancto Miſſae Sacrificio , ac divino Officio celebrandis tam publice , quam privatim , non alio quam Conceptionis nomine uti quicumque debeant .*

§. III.

§. *III. Nihilominus, prout venerabiles Fratres Epiſcopi fere omnes Hiſpaniarum cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis datis ad nos literis expoſuerunt, accedente etiam inſinuatione chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Philippi earundem Hiſpaniarum Regis Catholici, qui ſpecialem ſuper hoc miſit ad Nos Oratorem Venerabilem Fratrem Ludovicum Epiſcopum Placentinum, per quem etiam delatae fuerunt ad Nos ſupplicationes Regnorum earundem Hiſpaniarum; pergunt aliqui contrariae illius opinionis aſſertores contra praefatas prohibitiones tum privatim, tum publice praefatam ſententiam aut impugnare, aut vellicare, & favorem a Romanis Pontificibus Cultui & Feſto ſecundum illam praeſtitum ita interpretari, ut fruſtrentur; imo Eccleſiam Romanam huic ſententiae, & cultui juxta illam Beatae Virginis exhibito, favere negant, pios Chriſtifideles e ſua pacifica quaſi poſſeſſione deturbare conando: unde offen-*

offenſiones , ſcandala , & jurgia , quibus obviare voluerunt Paulus V. & Gregorius XV. noſtri Praedeceſſores , perdurant adhuc, & ex occaſione eorundem adverſantium majora his incommoda in poſterum prudenter, & merito timentur. Quapropter ſuper his tam praefati Epiſcopi cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis , quam memoratus Philippus Rex , ejuſque Regna nobis pro opportuno remedio inſtanter ſupplicari fecerunt.

§. *IV.* Nos conſiderantes, quod S. R. E. de intemeratae ſemperque Virginis Mariae Conceptione Feſtum ſolemniter celebrat, & ſpeciale ac proprium ſuper hoc officium olim ordinavit juxta piam , devotam & laudabilem inſtitutionem , quae a Sixto IV. Praedeceſſore noſtro tunc emanavit ; volenteſque laudabili huic pietati , & devotioni , & feſto ac cultui ſecundum illam exhibito in E. R. poſt ipſius cultus inſtitutionem, nunquam immutato,

mutato, Romanorum Pontificum Praedeceſſorum noſtrorum exemplo favere, nec non tueri pietatem & devotionem hanc colendi & celebrandi Beatiſſimam Virginem, praeveniente ſcilicet Spiritus Sancti gratia, a peccato Originali praeſervatam; *cupienteſque in Chriſti grege unitatem Spiritus in vinculo Pacis, ſedatis offenſionibus & jurgiis, amotiſque ſcandalis conſervare: ad praefatorum Epiſcoporum cum Eccleſiarum ſuarum capitulis, ac Philippi Regis, ejuſque Regnorum oblatam nobis inſtantiam ac preces, Conſtitutiones & Decreta a Romanis Pontificibus Praedeceſſoribus noſtris, & praecipue a Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. edita in favorem ſententiae aſſerentis, Animam Beatae Mariae Virginis in ſui creatione & in corpus infuſione Spiritus Sancti gratia donatam, & a peccato Originali praeſervatam fuiſſe, nec non & in favorem feſti, & cultus Conceptioni*

Digitized by Google

tioni ejuſdem Virginis Deiparae ſecundum piam iſtam ſententiam , ut praefertur , exhibiti , innovamus & ſub cenſuris , & poenis in eiſdem Conſtitutionibus contentis obſervari mandamus .

§. *V. Et inſuper omnes & ſingulos , qui praefatas Conſtitutiones , ſeu Decreta ita pergent interpretari , ut favorem per illas dictae ſententiae & feſto , ſeu cultui ſecundum illam exhibito fruſtrentur ; vel qui hanc eandem ſententiam , Feſtum ſeu Cultum in diſputationem revocare , aut contra ea quoque modo directe vel indirecte , aut ſub quovis praetextu , etiam definibilitatis ejus examinandae , ſive Sacram Scripturam , aut SS. Patres gloſſandi , ſive Doctores interpretandi , denique alio quovis praetextu , ſeu occaſione , ſcripto ſeu voce , loqui , concionari , tractare , diſputare contra ea quicquam determinando , aut aſſerendo , vel argumenta contra ea afferendo , & inſoluta*

reliquendo, aut alio quovis excogitabili modo differendo, auſi fuerint; praeter poenas & cenſuras in Conſtitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos ſubjacere volumus, & per praeſentes ſubjicimus, etiam concionandi, publice legendi, ſeu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa & paſſiva in quibuſcunque electionibus, eo ipſo abſque alia declaratione privatos eſſe volumus; nec non ad concionandum, publice legendum, docendum, & interpretandum perpetuo inhabilitatis poenas ipſo facto incurrere, abſque alia declaratione: a quibus poenis nonniſi a Nobis ipſis, vel a ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus abſolvi, aut ſuper iis diſpenſari poſſint; necnon eoſdem aliis poenis noſtro, eorundem Romanorum Pontificium ſucceſſorum noſtrorum arbitrio infligendis pariter ſubjacere volumus, prout ſubjicimus per praeſentes; innovantes Pauli V. & Gregorii XV. ſuperius memoratas Conſtitutione ſive Decreta.

§. VI.

§. *VI. Ac libros in quibus praefata ſententia feſtum, ſeu cultus ſecundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocunque, ut ſupra aliquid ſcribitur, aut legitur, ſeu loquutiones, conciones, tractatus, & diſputationes contra eadem continentur; poſt Pauli V. ſupra laudatum decretum edita, aut in poſterum quomodolibet edenda, prohibemus, ſub poenis & cenſuris in indice librorum prohibitorum contentis, & ipſo facto abſque alia declaratione pro expreſſe prohibitis haberi volumus & mandamus. Vetamus autem Sixti IV. Conſtitutionibus inhaerentes, quempiam aſſerere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariam cum Originali peccato fuiſſe conceptam, haereſis crimen, aut peccatum mortale incurrant; cum a Romana Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede nondum fuerit hoc deciſum (prout Nos nunc minime decidere volumus aut intendimus:) quin po-*

tius contrariam illam opinionem haereſis aut peccati mortalis, aut impietatis damnare volentes, praeter poenas, quibus eos ſubjecit Sixtus IV. aliique Praedeceſſores noſtri Romani Pontifices, gravioribus aliis poenis ſubjicimus, quas in contrafacientes huic noſtrae Conſtitutioni ſuperius inflriximus.

§. VII. Volentes quod contra hujus noſtrae Conſtitutionis tranſgreſſores, etiam Regulares cujuſvis Ordinis, & Inſtituti, etiam Societatis Jeſu, & quomodolibet exemtos, & alias quaſcunque Eccleſiaſticas & Saeculares Perſonas cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis aut dignitatis, tam Eccleſiaſticae quam Saecularis, ut praefertur, tam Epiſcopi & Praelati ſuperiores, aliique locorum ordinarii, quam haereticae pravitatis ubique locorum deputati Inquiſitores procedant, & inquirant, atque in eos ſtricte animadvertant. Nos enim iis, & eorum cuilibet contra eoſdem tranſgreſſores procedendi, & in-

quirendi,

quirendi , ac poenis coernendi , & puniendi liberam facultatem , & auctoritatem iiſdem auctoritate & tenore tribuimus , & impartimur , eoſque , ut praefertur , procedere, inquirere & punire diſtricte praecipimus , & mandamus .

§. *VIII. Non obſtantibus Conſtitutionibus , & ordinationibus , ac quibuſvis indultis & literis Apoſtolicis quibuſvis Perſonis quantumcumque qualificatis , & in quacumque etiam Cardinalatus , Patriarchali , Archiepiſcopali, Epiſcopali , & quavis alia dignitate & honore conſtitutis , etiam quod contra eos procedi , interdici , ſuſpendi , vel excommunicari nequeat , quomodolibet conceſſis . Quibus omnibus & eorum ſingulis , etiamſi pro ſufficienti illorum derogatione de eis , ipſorumque totis tenoribus ſpecialis , ſpecifica , individua , & expreſſa , ac de verbo ad verbum , non autem per generales etiam idem importantes clauſulas , mentio habenda,*

benda , aut alia exquiſita forma obſervanda foret , tenores hujuſmodi , ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent , praeſentibus pro ſufficienter expreſſis , & inſertis habentes , harum ſerie ſpecialiter , & expreſſe derogamus , ceteriſque contrariis quibuſcunque .

§. IX. Ut autem haec noſtra conſtitutio , & praemiſſa omnia ad eorum omnium , quorum intereſt , notitiam congruentius pervenire poſſint ; in virtute ſanctae obedientiae , & ſub poena privationis ab ingreſſu Eccleſiae eo ipſo incurrenda praecipimus , & mandamus omnibus & ſingulis locorum Ordinariis , ac eorum Vicariis Suffraganeis , & Officialibus quibuſcunque , & aliis ſingulis , ad quos quomodolibet ſpectat & pertinet ; quatenus hujuſmodi noſtram Conſtitutionem ſingulis ſuae Diroceſis vel diſtrictus Praedicatoribus , & aliis , quibus expedire judicaverint , opportune inſinuent , & publicent , ac

inſi-

inſinuari & publicari faciant , ne quis in poſterum quoque modo ignorantiam de praemiſſis poſſit praetendere, aut ſe contra praemiſſa valeat excuſare.

§. X. Volumus , & ſimiliter eadem auctoritate decernimus & mandamus , quod praeſentes literae per aliquos ex noſtris Curſoribus , in baſilicarum SS. Joannis Lateranenſis , ac Principis Apoſtolorum , & Cancellariae Apoſtolicae valvis, ac in acie Campi Florae de Urbe de more publicentur , & affigantur ; quae affixio , & publicatio ita omnes & ſingulos , ad quos ſpectat , afficiat & arctet , ac ſi illis perſonaliter intimatae fuiſſent; & quod illarum tranſumtis, etiam impreſſis , manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus Perſonae in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutae munitis , eadem prorſus fides adhibeatur , quae praeſentibus literis adhiberetur , ſi oſtenſae , vel exhibitae forent. Datum Romae apud Sanctam Mariam

riam

riam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 8. *Decembris* 1661. *Pontificatus noſtri anno VII.*

ERRATA. *CORRIGE.*

Pag. IV.	lin. 22.	Ut	Jam
Pag. VII.	lin. 4.	n. n.	✠
	lin. 9.	Deo	Ea
Pag. XVI.	lin. 1.	Craeturae	Creaturae
Pag. XXVI.	lin. 4.	re apſe	reapſe
	lin. 9.	quoad	quod ad
	lin. 10.	quoad	quod ad
Pag. XXXVIII.	li. 21.	numqam	numquam
Pag. XLVI.	lin. 1.	convincii	convinci
Pag. LXI.	lin. 15.	*ſcopulus*	*ſcopulos*
Pag. LXVIII.	lin. 19.	ab eam	abeam

Digitized by Google